

*Elenchus vitae auctoris.*

& , ne eruditionis theologicae apicem praeteriret, sanctae linguae hebraicae vehementissimam dedit operam ; adeo ut in illius peritia judaeum quemvis aequare videretur. Et ex his seminibus foecundo solo satis & caelo benigno nutritis prodeunte ocyus generosa messe, omnium doctorum, quibus innotuit, encomiis, praeconiis, clarissimus philosophus, eximius theologus, & trium linguarum peritissimus celebratus est. Hic permotus fama academiae lugdunensis, multis & magnis orthodoxae religionis luminibus coruscantis, relicta Germania, in qua quatuor transegit annos, plenus eruditionis & laudis, in Belgium commigravit. Cumque *Lugdunum Batavorum*, celebris academiae sedem, attigisset, ecce fama jactatur, (nam diu illic inter academicos latere non potuit) doctissimum scotum inter illos clam versari, cujus modestia se suasque dotes palam ostentare non patiebatur. Illico accitus ab academiae proceribus, venit, & Scaligerum, Grotium, Vossium, Heinsium, Hommum, Jachaeum, magni nominis philosophum, cognatum & compatriotam, aliosque literatorum coryphaeos convenit, notitiam amicitiamque cum illis contraxit, & variis colloquiis & amicis disputationibus hinc inde exercitis, eandem promovit & adauxit. Paucos post menses ipsis valedixit, & discedenti frequens academiae senatus amplum incredibilis facundiae, prompti & expediti ingenii, & multivariae eruditionis testimonium perhibuit.